

Kern 253 (1-20)

72

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
SYMPTOMATIBVS
IN GRAVIDIS A SOLA PLETHORA
NON SEMPER DEDVCENDIS

QVAM
GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM CONSENSV
PRAESIDE
D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO

FACVLT. MED. SENIORE ETC.

PRO
GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
AC
PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

DIE XIII. FEBRVAR. MDCCCLXXXIII.

IN REGIA FRIDERICIANA

PVELICE DEFENDET

IOSEPHVS HAYMANN
GLOGAVIA - SILESIVS.

HALAE,
LITTERIS FRID. WILH. MICHAELIS.

VIRIS

PRAENOBILISSIMIS ATQVE HONORATISSIMIS
STVDIIS, VIRTVTVM LAVDE MORVMQVE
ELEGANTIA CONSPICVIS

DN. BENIAMIN ISAAC
WVLFF

DN. IACOB ISAAC
WVLFF'

NEC NON

DN. BENIAMIN DANIEL
ITZIG

PATRONIS AC FAVTORIBVS

SVIS OMNI

DEBITAE VENERATIONIS

CVLTV

AD CINERES PROSEQVENDIS.



HASCE

LABORVM PRIMITIAS

IN

GRATI AC DEVOTI ANIMI TESSERAM

SACRAS VVLT ET OFFERT

AVCTOR.




§. I.

Constat inter omnes, variis compluribusque grauidas conflictari pathematisbus, quae ab impraegnatione ut caussa nascuntur. Potest vero satis commode totum grauiditatis tempus in duas periodos distingui; quarum prima a conceptu usque ad quarti mensis finem decurrit; altera autem omnes subsequentes menses complectitur. Prout vero cuique harum periodorum symptomata quaedam proprie competitunt; ita quoque varii, ex quibus ea scaturiunt, fontes statuuntur. At dissentient inter se medici, quoniam praeprimis ex fonte mala, prima gestationis periodo praegnantibus molesta, profluant. Fuerunt, qui

A

horum



liorum originem ex plethora, grauidis, vt putarunt, perquam familiari^{a)}, tanquam primaria causa deducendam esse statuerunt b). Verum haec a longo iam tempore recepta opinio ex variis argumentis, hinc inde a medicis annotatis, in dubium vocatur. Quare placuit hac de re paulo prolixius differere.

§. II.

Memoranda autem nunc veniant symptomata, quae primo gestationis stadio vulgo obseruari solent. Cuiusmodi sunt nausea, vomitus, appetitus prostratus, vel immodicus, eiusque alienationes, ventris tormenta, lipothymiae, ptyalisinus, palpitationis cordis, phlogoses, dentium ac capitis dolores, vertigo, haemorrhagiae, abortus. Tametsi quidem numerosissima sint incommoda, quae grauiditatem concomitari solent, sufficerit tamen commemorasse, quae frequenter praegnantibus accidere visuntur. Ex quibus modo pauciora, modo plura, ocius seriusne, occurunt. Neque molestias, quae posteriori ingrauidationis tempore comparent, ab vteri expansione propullulantes, attingam, solummodo acturus de iis, quae in prima gestationis periodo infestant, quorumque causa plethora vulgo habetur.

§. III.

- a) Vid. inter alia HOFFMANN. *Med. rat. Syst.* Tom. I. pag. 643 seqq.
ZVCKERTS *Diät der Schwangeren und Sechswöchnerinnen* pag. 65.
§. 32.
- b) conf. BOERHAAVE *Aphor.* §. 1294. et §. 1296. HAMBERG. *Physiol. med.* pag. 743. HOFFMANN. l. m. c. Tom. II. pag. 347 seqq.

§. III.

Enimuero, vt res ipsa paulo clarior euadat: ad ea accedam rationum momenta, quae, pro stabilienda grauidarum plethora, vt vnica ac primaria symptomatum caufa, a plurimis medicorum afferi solent. Illud autem primum ac praecipuum illorum videatur argumentum, quod a fluxus menstrui retentione, conceptum vt plurimum in sequente, depromittit. Quamuis quidem sanguinis vna periodo emissi copia pro subiectorum diuersitate quam maxime variet, et feminae quantitatem modo maiorem, modo minorem excernant; ea tamen satis larga nonnullis visa est, vt hanc adeo octo ^{c)}, vel duodecim ^{d)}, quin viginti vncias aequare vel excedere, assumferint ^{e)}. Verum, impedita ac cesante hac excretione, vt plethora exfurgat, est necesse. Etenim embryo incipientis grauiditatis tempore prae sua exiguitate tantum sanguinis, quantum versus vterum dirigitur, absumere nequit. Insuper constat, nihil rubri sanguinis inter initia ad embryonem venire ^{f)}, eiusque nutrimentum tunc in materia tantum serosa lymphatica consistere. Verbo, id liquidi, quod tenelli incremento impenditur, quam paucissimum est. Igitur superflua sanguinis moles regurgitare incipit, adeoque vasa corporis, maxime que viscerum abdominalium, exsuperante sanguine, implentur; hinc fibrae distenduntur, et aucta ideo emergit sensilitas. Oboriuntur

A 2

circui-

c) HALLER *Prim. lin. Physiol.* §. DCCCLXI.

d) STORCH *de morbis mulierum* Tom. II. pag. 35.

e) FREIND. *Emmenolog.* pag. 38. et HAMBERG. l. c. §. 1393.

f) conf. v. SWIETEN *Commentar. in aphorism. BOERH.* pag. 455. Tom. IV.

= = = = =

circuitus humorum tardiores, secretionum et excretionum impedimenta. Atque inde symptomatum rationes haud difficili negotio elici possunt. Ventriculi enim intestinorumque vasa sunt numerosissima, ac sanguis nimium in his congestus nervos distendit, fibrasque musculares ad spasmos sollicitat, unde nausea, et vomitus. Deinde assunta, ob turbatam ventriculi functionem parum digesta, in materiam mucosam, vel acrem pro sua diueritate degenerant, et inappetentiam, ruetum, flatu aliaque huius generis mala concitare valent. Caeterum in gratiis cephalalgiae, vertiginis, haemorrhagiis, omniumque, quae plenitudini ac congestionibus debetur, symptomatum ratio liquet,

§. IV.

Subsunt praeterea aliae quoque rationes, quae ad firmandam hanc sententiam, ut putant, suum conferunt. Etenim plenidinem causam pathematum principalem esse, verisimile ex eo videtur, quod symptomatum nonnulla, primis mensibus molesta, ordinarie circa medium gestationis terminum, quo fetus, mole iam increscens, maiusque volumen naevus, largiori indiget nutrimento, ideoque plethora tunc cessante, vel minuantur vel penitus cessent. — Porro sanguinis excretiones, quas grauidae absque aliquo fetus damno quandoque experiuntur, plethoram arguunt. Nam, ut haemorrhagias per nares, pulmones, aliasque partes taceant, menstrua non raro per priores menses cum euphoria fluere aduertuntur. Non nunquam ad quartum usque vel quintum mensem, imo ultra, menses nonnullis, falvo fetu, profluxisse, obseruatum est, et merentur praeci-
pue


pue ab III. BOEHMERO adductae obseruantiones, attentionem g). At enim vero si ordinatim et feliciter menstrua emanant, nulla ratio

A 3

subesse

g) MAURICEAU *Traité des Malad. des Femm. grosses &c.* Lib. I. Cap. III. pag. 72. et cap. XX. *De la MOTTE Traité complet des accouchem.* Lib. I. cap. IX. obs. 25. STORCH l.c. Tom. III pag. 340. Praeterea III. PRAESES in muliere, plures successiue enixa filios, tempore grauiditatis, semper notauit fluxum vterinum, quovis mense, consueto more, absque doloribus per viginti quatuor horas, vel duos circuiter dies durantem; extra grauiditatis statum autem nullum, sed tunc temporis plane cessantem. Hinc femina a solo hocce signo, ipsi certo viro, ad grauiditatem conclusit; neque experientia fefellerit.

IDEM in alia femina, gente Judaea, cum per septem annos in matrimonio sterili, quamuis rite menstruata, vixerit, sub mensium retentione per quatuor menses, aucto successiue abdominis volumine, tangentibus mammis et papillulis cum areolis, intuitu crassitie, latitudinis et coloris mutatis, circa quintum mensem notabilem obseruavit sanguinis iacturam. Post decimum quintum perpeccas haemorrhagiae vterinae, largioris diem, quodammodo debilitata accessit ad illam eiusque sibi expedit auxilium. — Quibus rebus sic stantibus, initio dubius intuitu grauiditatis non sine ratione sufficienti haesit; interea pulsus adhuc ex parte pleno obsernato, nullisque adhuc cum doloribus excretis grumis sanguineis cum filamentis membranaceis, praeter animi, et praesertim corporis per nouem dñs strenue in lecto seruandam quietem, instituta venaelectione moderata in brachio, et adhibitis internis temperatibus, ac interpositiis securis moderantibus effecit; vt fluxus successiue imminutus, penitus cessaverit, atque mater, admodum sollicita, finito nono mense solari, filium pepererit sanum, qui una cum matre, adhuc vivit. Elegans argumentum in foro artis obstetriciae, tributum lunare, tempore gestationis proueniens, non semper ex vtero, sed ex limbo offici vterini externo, et sicuti avinaduerit, ex ipsius vasis clitoricis, ne dicam, ex vagina prouenire posse. Varia vasorum ab hypogastricis directio, et communicatio ab ipso demonstrata fuit in *Fasciculo altero Observationum*



subesse videtur, nisi quod plus sanguinis adsit, quam a fetu consumitur. Animaduertimus quoque grauidas sanguine plenas, quae durante grauiditate fluxum menstruam patiuntur, melius se habere, quam quibus ordinarius iste fluxus subsistit. Hinc nonnullis omnino probabile fit, causam pathematum grauiditatis in mensium retentione quaerendam esse ^{b)}. — Denique venae sectiones, ad mala praeſcindenda et tollenda utiliter institutae ⁱ⁾, receptam opinionem confirmare videntur.

§. V.

Atque haec potiora sunt istius, tot medicis probatae, opinionis argumenta. Quae si paulo penitus intuearis, etiamſi prima fronte multam veritatis speciem praefeferant, manca tamen nec satis firma appellabis. Et profecto pondus omnium, quas memoriai, rationum, quibus plethoram, ex retentis mensibus natam, tanquam primariam symptomatum in grauidis causam euincere conantur, protinus corruit, si consideramus, plurima symptomata, quae plēthorae tribui solent, praegnantibus iam accidere, cum nulla ex mensium retentione plēthora accusari possit. Sic, docente experientia, nausea, vomitus, cephalalgia, mammarum dolor, aliaque pathemata non raro primis a conceptione diebus ante menstruorum cessationem obſeruantur. Vnde manifesto appetet, quod plētho-

vationum suarum anatomico-chirurgicarum. Qui igitur haemorrhagiae vterinae eiusmodi caufam et fedem probe nouit; et prognosin rite formare, et curationem rationalem instituere poterit.

b) DIONIS Traité general des accouchem. Lib. II. cap. 13.

i) DE LA MOTTE I.C. L. I. cap. XV. p. 64 seqq. STORCH I.C. p. 164.

plethora ad genesis horum pathematum nihil contribuat. Atque hoc a nemine facile in controversiam vocatur, vt adeo ipsi plerorae patroni eorum originem irritationi, ac consensui nenuorum, tribuere cogantur ^{k)}). — Huc etiam referantur casus quidam rariores. Compluribus enim observationibus, fide non defraudandis, certum et euictum est, dari feminas quasdam robustas, labori deditas, quin integrarum gentium, quae per totum vita sua cursum menstruis penitus vacant, attamen grauidae euadunt ^{l)}). Quandoque, sed rarissime accidit, vt feminae prolem concipient, lunarem purgationem antea non expertae ^{m)}). Quodsi vero menses vel perpetuo retinentur, vel ante conceptionem saltem haec euacuatio non conspicitur, anne, durante grauiditate, mensum retentionem vt causam symptomatum accusare licet? — Ad haec notandum est, grauidas existere non paucas, quae ob statum morbosum, quo laborant, multum sanguinis generare non valent. Pallidae videlicet, valetudinariae, debiles, ad phthisin pronae impraegnantur. Verum in his parum sanguinis, quod confidere eae solent, vix fetui nutriendo sufficere videtur; ea certe sanguinis copia increscere nequit, quae molesta sit. Atque haec omnia nos monent, plenitudinem neutquam posse pro *vnica ac primaria symptomatum causa* venditari.

§. VI.

k) Coschwarz Diff. de grauidar. affect. a plethora, foetus et secundinarum mole oriund. §. XXXI.

l) Roederer Elem. art. obsteir. Not. Ill. Wrisberg. pag. 62.

Hamberg. I. c. pag. 697. Klein in libr. de aere, aquis et locis agri Eibacensis S. II. p. 150. S. III. p. 184.

m) De La Motte I. c. lib. I. cap. IX, obs. XXIII. et XXIV. Schenk. obs. med. libr. IV.

§. VI.

Sed, missis his, iure nunc quaeritur, an in grauidis, quibus
 menses ordinatim ante conceptionem fluere solebant, plethora,
 ex menstruorum retentione nata, ut causa pathematum, primis men-
 sis afflignantum, primaria recte statuatur? Verum ne tum
 quidem, quando menses hucusque fluentes impregnationis tem-
 pore cessant, plethoram tanquam primariam causam accusandam
 esse arbitror. Nouimus enim, tantam suetis periodis non sem-
 per excerni sanguinis copiam, quantam quidem ex medicis pla-
 rimi assumere solent (§. III.). Quandoquidem sanguis in nonnullis
 ad vnciam vnam alteramue effunditur ⁿ⁾; plerumque vero qua-
 tuor vel quinque vnciae, quae per menstruam solent evacuatio-
 nem excerni, statuuntur ^{o)}. Evidem fateor, inde plethoram
 posse omnino exsurgere, si refinetur istiusmodi sanguinis quanti-
 tas; in primis cum fetus nutritioni primis mensibus ea parum in-
 seruiat (§. III.): At tenendum est, vterum, ob peculiarem suam
 fabricam, commodum in praegnantibus praebere retenti sanguini-
 sis diverticulum. Nam vasa largissime per ejus compagem diffe-
 minata tortuoso ac serpentino reptatu discurrent, eaque, in femi-
 nis vtero non gerentibus satis exilia, impregnationis tempore a
 sanguine tam in longitudinem, quam latitudinem adeo didicun-
 tur, ut uterus strictus antea ac tensus, laxior nunc euadat, et
 mirum in volumen increbat; remanente tamen pristina eius cras-
 tie. Quapropter vterus spongiae instar sanguine turgescit. Patet
 ex-

ⁿ⁾ STORCH l. c. Tom. II. pag. 35.

^{o)} HAEN Rat, medend. Part. IV. pag. 221.

exinde quam clarissime, magnam sanguinis partem in ampliatis et distentis vteri vasis colligi, et plethoram, ob mensum retentionem extimescendam, ideo praecaueri. Porro si consideres, feminas potissimum impregnationi aptas esse finito menstruo fluxu p); certe verisimile non est, in primi mensis fine, vel mense secundo, ex retentione sanguinis, una periodo exire soliti, cuius pars embryoni utique nutriendo, altera vero vas vteri implendis infernit, plenitudinem inde nasci, quae symptomata excitaret, aliis, in perfecto statu plethorico constitutis, vix quidem familiaria.

§. VII.

Quodsi forte plethora inde natales ducere posset, ea tamen vel ipsis symptomatibus praecauetur. Ita namque notum est, nau- seam vomitumque primis a conceptione diebus nonnullas inuadere et vsque ad tertium quartumque mensis, imo ad partum usque quandoque perdurare. Hinc grauidae cibos vel auersantur, vel expellunt certe ea, ex quibus sanguis generari debet. Fac itaque, plethoram ob sanguinis menstrui retentionem enasci, ex altera vero parte sanguinis generationem impediri: tollitur fane unum altero, vt plethora adeo grauidis euenire haud possit. — Deinde quod ad symptomata attinet, licet ea eius sint indolis, vt ex plethora omnino deriuari queant: interea tamen certum est, ubi veram statuas plethoram, ibi quoque signa eius vt non deficiant, necesse esse. At vero in feminis ante conceptionem sanis, nunc im-

p) MAURICEAU l. c. Tom. I. lib. I. cap. I. pag. 61. DIONIS l.c. lib. I. cap. VIII. p. 73.



impraeagnatis, oculos concavos, liuidos, faciem pallidam, genas collapsas &c. aduertere licet; quae nemo certe pro plethorae signis habebit.

§. VIII.

Restat ut cetera, quae proferuntur (§. IV.), rationum momenta discutiamus. Etenim hoc, quod symptomata quaedam medio gestationis tempore, dum fetus plethoram absunit, vel minuantur, vel penitus cessent, commode sine eo, quod plethoram statuas, explicari potest; ut infra dicetur. Atque vel id nostrae sententiae fauet. Nam si plethora pro causa pathematum habetur, explicari certe nequit, cur nausea, vomitus aliaque symptomata circa gestationis medium; quo plethora cessat, interduum grauidas excruciare pergent. — Atque haemorrhagiae, quae praegnantibus nonnunquam cum leuamine absque aliquo fetus nocumento eueniunt, nihil aliud euincere mihi videntur, nisi quod plethora quandoque subsit. Fieri quoque omnino potest, ut in robustioribus et plethoricis subiectis symptomata inde mitigentur. Et lubens concedo, plethoram omnia symptomata tum exasperare posse, tum noua fuscitare. Id solum vrgeo, plenitudinem pro perpetuo grauiditatis comite minime habendam esse, nec omnes affectus vnicce ac principaliter inde originem suam ducent. Neque etiam adeo constantis est experientiae, symptomata, quando istae sanguinis excretiones rite succedunt, semper immixtui. Indubius enim obseruatis constat, symptomatum nonnulla grauidis familiaria, licet fluxio sanguinis periodica apparuerit, tamen non defuisse. Memorabilis sane et notatu valde dignus mihi vide-

videtur casus, quem **S TORCHIUS** refert ^{q)}: Femina nempe, phlegmaticae temperie, consueto fluxu menstruo usque ad medium gestationis terminum gaudebat, nihilo tamen minus naufea et vomitus eam pariter ac alias feminas, quibus menses deficiunt, molestabant. Discimus certe ex hac obseruatione, quam male obstructioni mensium grauiditatis symptomata adscribantur. — Et eadem, quae modo de haemorrhagiis monui, in venaectionem cadunt. Nullum est dubium, quin ea utiliter saepius instituantur; plures tamen sinistrum fuisse euentum, obseruatis constat.


§. IX.

Ex his disputatis luculenter, ut puto, elucefecit, plethoram ut vnicam quarumuis calamitatum causam in praegnantibus perperam accusari. At si quaeris, quis demum sit praecipuus ille fons, unde symptomata primis mensibus diminant? recte statui omnino posse videtur, eum in sola vteri post conceptionem mutatione, eiusque ac vicinarum, quae generationi dicatae sunt, partium irritatione querendum esse. Vterus enim, multis nervis instrutus, exquisita gaudet sensilitate. Qui vero magnam partium neruofarum sympathiam perpendit, ei non adeo mirum videri potest, quod neruorum vteri irritatio omnes fere corporis partes in confusum trahere queat, cum detur astio vteri in distans. Compluribus certe obseruationibus comperimus, mutationem quandam in nervis factam, propter communicationem, quam eorum propagines inter se habent, partium etiam longe dissitarum

B 2

functio-

^{q)} L. c. Tom. III. pag. 261.



functiones conturbare posse. Neque minus constat, leuissimam
saepe causam, quae infuetam in nervis agitationem excitat, ve-
hementes saepe miroisque producere effectus. Cuius rei exempla
prostant numeroſa. Tametsi quidem non negauerim, vteri im-
perium in alias corporis partes non tam latissime patere, quam
vulgo creditur; manifesto tamen consensum huius organi cum
aliis demonstrant nausea, vomitus, et conuulsiones, quae partum
et inflammationem vteri excipiunt; neque symptomatum, quae
conceptum preſſo pede sequuntur, alia subeffe videtur ratio, quam
vteri consensuſ. Prae omnibus aliis autem digestionis organum
inde afficitur. Etenim vteri nervi, per mutuam inter par vagum
et intercostale connexionem, cum ventriculi nervis communica-
tione habent: hinc nervis vteri irritatis, ventriculus pariter in
consensuſ trahitur, unde spasmī, ideoque nausea, vomitus, appe-
titus alienationes &c. proueniunt. At vero maximus in canali
alimentari consensus cum omnibus fere aliis corporis humani par-
tibus obſeruatur ^{r)}). Non mirandum proinde eſt, si tot sympto-
mata gestationem comitantur. Nec a vero abſimile videtur, quod
symptomata quam plurima potiſſimum primarum viarum debean-
tur laefioni, per sympathiam ex mutatione nervorum vteri in-
duſſae. Etenim primarum viarum vitia excipere ſolent laſſitudo,
phantasia turbata, vertigo, cordis palpitatio, cephalalgia, phlo-
gofes, dyspnoea, ſaliuatio, cutis conſtricta, auēta totius generis
ner-

^{r)} Conf. Whytt Sämmliche zur praktischen Arzneykunſt gehörige Schrif-
ten, pag. 341.

neruosi sensilitas, aliaque mala ²⁾). Insigne quoque earum imperium in totum fere corpus testantur vel hypochondriaca passio, febres intermittentes, aliique morbi, qui vitiis primarum viarum ortum debent. Sufficient autem dicta, unde satis probari existimo, vteri irritationem omnium fere, quae primis grauiditatis mensibus comparent, symptomatum causam agnoscendam esse; cum iisdem, ad finem grauiditatis perseverantibus, simul ad viscerum quorundam abdominalium ob vteri molem et adscensum factam situs mutationem et aliquam compressionem, tanquam praecipuum causam, respiciendum sit.

§. X.

Proximum est, ut in originem huius irritationis inquiram. Solent medicorum plerique vniuersim expansionem vteri accusare, vnde neruis eius extensis, pariter ventriculi nerui extensionem patiuntur. At enim vero in nonnullis confessim a conceptione, antequam vterus quoad volumen sensibiliter mutatur, pathemata visuntur; hinc vteri expansio non pro vnicca causa haberi potest. Verisimiles autem huius irritationis fontes sunt sequentes: primo, seminis stimulus post eius cum foecundae mulieris corpore communicationem ³⁾. Notum enim est, feminas adeo sub coitu in febriculam et naufragiam quandoque incidere, manifesto exemplo,

B 3

semi-

²⁾ Whytt. l. c. pag. 340. seq.

³⁾ ROEDERERUS l. c. §. 136. pag. 63. primum inquit, probabile habetur signum peculiaris quidam voluptatis sensus in vitroque sexu, ad extasias accedens, quae in femina maior esse solet, atque generalibus turgentibus deberetur, vterique cum partibus annexis rigori: quin animo linquit quaedam feminae solent. —



feminis stimulum eiusmodi pathematibus concitandis valde idoneum esse; deinde ouuli transitus per tubas Fallopii distensiones parit; denique vero vteri grauidi expansio, ut praecipua irritatio-
nis causa notari debet.

§. XI.

Quibus expositis, haud difficulter intelligere licet, cur de-
biliores, quibus maior est neruorum teneritas, frequentius, quam
robustiores, his pathematibus subjiciantur? cur a conceptione
protinus illis affligantur? cur ante medium gestationis terminum
grauiora sint mala, et tunc vel minuantur vel plane cessent? Ete-
nimi irritationi iam assuetus est vterus, et expansioni magis cedit.
Fluit inde quoque ratio, quare medicamenta, spasmos sopientia,
eaque, quae in neruos agunt, salutariter adhibeantur.

§. XII.


Nosse tamen oportet, plethoram in totum ex causarum sym-
ptomatum grauiditatis numero non excludendam esse. Solet ea
tertio in primis vel quarto mense, ex sanguine per priores menses
retento, vt pote qui neque utero, neque foetui omnis impenditur,
sensim succrescere, maxime in iunioribus, suo modo robustis,
quae paucis ac minoribus pathematibus in primo et secundo men-
se affliguntur, aut copiose largiterque antea menstruatae fuerunt.
Quandocunque itaque plethora subest, sive ea ex grauiditate insur-
gat, sive aliunde in feminis ante conceptionem plethoricis nata
concurrat, fieri aliter nequit, quin multiuaria symptomata produ-
cantur, exasperentur, ac multiplicentur. Inquirere itaque opor-
tet

tet pathematum curationem suscepturnum, quae ex dictis cauissimis mala p̄aeprimis inducant, vel, num illae sint complicatae. Quodsi igitur nausea, vomitus, appetitus deprauatus, lipothymiae, tremores aliaque symptomata, teneriores feminas, valde sensiles ac hystericas, maxime primo vel secundo menſe, affligunt, recte causam in neruis et vteri sympathia ponis. Contra vero si robustae sint feminae ac calidae temperie, fluxui menstruo largo assuetae, et haemorrhagiae, palpitatio cordis, cephalalgiae et odontalgiae sanguineae, vertigines, aliaque, quae plethorae debentur, mala, tertio in primis, vel quarto menſe, comparent: plenitudinem omnino accusare licet.

§. XIII.

Quum igitur pro diuersiatte subiectorum intuītu indicatorum symptomatum, variae concurrere possint causae (§. antec.): medicus in medendo eo respiciat, necesse est, vt, nisi penitus tollantur, ex parte tamen mitigentur. Plethora, mala augens, tanquam remotior causa, imminuenda erit. Hoc remedium ILL. etiam PRAESES, tanquam praefantissimum et summe necessarium in vomitu, primos gestationis menſes molestante, offendit. Prodest igitur circa tertium menſem moderata in brachio instituta venae sectio; in qua instituenda, etiam ex sententia Boerhaavia^{v)} locus, tempus copiaque maxime advertenda. Tum vietus tenuis, motus corporis placidus, potusque levis, leniter acidulatus substituenda, et per pauca remedia, eaque selectora commendanda. Eligantur igitur horum ex numero temperantia, cum pare-

^{v)} De cognosc. et curand. morbis aphor. 1298. 1299.




parægoricis remixta; spasmi anodinis securis simulque tonicis,
v. g. oleo Vini, in quo aliquot guttulae olei chamomillæ destillati,
vel genuini Cajeputi solutæ sunt, dentur cum vehiculo aquæ
cinnamoni s. v. Ex antihystericis castoreum in minima dosi, tempe-
rantibus junctum, prævalet; vel in frigidioribus Ess. aurantiorum
viridum imminaturorum cum aequali portione liquoris anodynæ
Hoffmanni et essentiae castorei remixta, diuersa dosi dari poterit.
In pallidis sensibilioribus et debilioribus venæ sectio magis nocet,
quam prodest; conducunt vero Elixiria visceralia cum parva quan-
titate essentiae castorei remixta, Respiciantur, seruata animi quiete,
omnes se et excretiones; et alvus præfertim interdum balsamico-
ciane solvatur. Nociva minusque salutaria præterea sunt
omnia fortiora, irritantia et draistica remedia; cum natura non
cogi, sed tantum duci debeat, et intuitu symptomatum, ipsa in-
terdum in medendo sibi soli sufficere videatur. Quapropter etiam
vifus narcoticorum, suspectus nobis videtur. Quidquid igitur
agendum; illud tuto atque iucunde fiat.



WON
PICA





DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
 DE
SYMPTOMATIBVS
IN GRAVIDIS A SOLA PLETHORA
NON SEMPER DEDVCENDIS

QVAM

GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM CONSENSV

PRAE

D. PHILIPPO ADOL

FACVLT. MED.

GRADV D

SVM MISQUE IN ME

PRIVILEGIIS DOCTORALI

DIE XIII. FEBR

IN REGIA F

PVELICE

IOSEPHVS

GLOGAVIA

HAI

LITTERIS FRID.

